

[p. 8] ⁴¹⁷Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal.

Prot. N. 23966/93 C.A. Pharaonen.

De natura publica Misericordiarum dioecesis Pharaonen.

(Santas Casas de Misericórdia de Algarve – Pontificium Consilium pro Laicis.

Sententia definitiva.

In nomine Domini. Amen.

Ioanne Paulo PP. II feliciter regnante, Pontificatus sui anno XXI, die 24 Aprilis 1999, Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal, videntibus Em.mis ac Rev.mis D.nis Bernardino Gantin, D. Simone Lourdusamy, Antonio M. Javierre Ortas et Ioanne P. Schotte et Exc.mis ac Rev.mis D.nis Zenone Grocholewski, Praefecto, Iuliano Herranz, Aemilio Eid et Eduardo Davino, Ponente, intervenientibus Cl.mo Adv.to C. Gullo pro parte recurrente et Cl.mo Adv.to C. Tricerri pro Auctoritate ecclesiastica, necnon Rev.mo I. Llobell, Promotore Iustitiae deputato, in causa de qua supra, hanc definitivam tulit sententiam.

[p. 9] Prot. N. 23966/93 C.A.

⁴¹⁶ Toda esta frase está manuscrita.

⁴¹⁷ Esta página é a primeira de um fax enviado da Assinatura Apostólica e está escrita em papel timbrado da referida instituição, e todas as restantes páginas do documento têm o selo da Assinatura Apostólica no canto inferior direito, com uma rúbrica.

I. Facti Species.

1. Die 19 iunii 1991 Exc.mus Episcopus dioecesis Pharaonensis, se referens ad “Declarationem unanimes consensu Episcoporum Conferentiae Lusitanae diei 15 Novembris 1989 circa Misericordiarum Lusitanarum pastorem canonicamque naturam”, decretum tulit in quo statuitur omnes Misericordias canonicas erectas eius dioecesis esse “associationes publicas”.

Die 29 iulii 1991 quaedam Misericordiae, ad normam vi can. 1734, emendationem praefati decreti petierunt ab Exc.mo Episcopo, qui tamen die 24 augusti eiusdem anni suum confirmavit decretum.

Adversus hunc actum legitimi Misericordiarum representantes die 11 Novembris 1991 recursum hierarchicum proposuerunt apud Pontificium Consilium pro Laicis, exemplar recursus etiam ad Congregationem pro Episcopis et Congregationem pro Clericis remittentes.

Die 30 Novembris 1992 Pontificium Consilium pro Laicis decretum tulit, in quo statuitur: “...que o decreto contra o qual foi interposto recurso (assim como o decreto produzido como resposta à petição da correção do primeiro) é legítimo in procedendo e in decernendo.

2. Die 21 Aprilis 1993 Misericordiae recursum interposuerunt apud Nostrum Supremum Tribunal adversus decretam Exc.mi Episcopi a Pontificio Consilio pro Laicis confirmatum.

Exorta incidenter quaestione de competentia Nostri Supremi Fori, dein die 13 iunii 1995 ad hanc dubii concordationem perventum est:

“Utrum, prae oculis habita natura actus impugnati, hoc Supremum Tribunal competens sit in casu;

Et, si et quatenus affirmative, utrum constet de violatione legis vel in procedendo vel in decernendo relate ad actum Pontificii Consilii pro Laicis diei

[p. 10] Prot. N. 23966/93 C.A.

30 Novembris 1992, confirmantem decretum Exc.mi Episcopi Pharaonen., diei 19 iulii 1991”.

Praehabitis memorialibus pro recurrentibus et pro Auctoritate ecclesiastica necnon votis pro rei veritate Rev.mi Promotoris Iustitiae deputati, Collegium Em.morum et Exc.morum Patrum ad proposita dubia respondit:

“Ad A: Hoc Supremum Tribunal competens esse in casu;

Ad B: Dilata et compleantur acta, et ad mentem.

Mens est haec: scribatur Exc.mo Episcopo Pharaonen. si utrum exstant documenta quibus roborentur argumenta ab ipso Nostro Supremo Tribunali exhibita per animadversiones diei 18 Novembris 1994”.

Et nunc, responsione accepta ab Exc.mo Episcopo Pharaonen., eaque una cum documentis adnexis publicata et discussione super eis inter Cl.mos Patronos et Rev.mum Promotorem Iustitiae deputatum rite habita, ad hoc dubium respondendum est:

“UTRUM CONSTET DE VIOLATIONE LEGIS VEL IN PROCEDENDO VEL IN DECERNENDO RELATE AD ACTUM PONTIFICII CONSILII PRO LAICIS DIEI 30 NOVEMBRIS 1992, CONFIRMANTEM DECRETUM EXC.MI EPISCOPI PHARAONEN. DIEI 19 IULII 1991”.

II. In iure et in facto.

3. In tuto posita competentia Nostri Supremi Tribunalis, aggredi Nobis nunc competit quaestionem de asserta illegitimitate actus administrativi, decreti nempe Pontificii Consilii pro Laicis quod confirmavit Exc.mi Episcopi Pharaonensis decretum.

“Merito dictum est – ita Em.mus Card. Dinus Staffa – actum administrativum auctoritatis ecclesiasticae nedum legitimum sed utilem et opportunum esse debere. At

[p. 11] Prot. N. 23966/93 C.A.

de illegitimitate, non autem de utilitate vel opportunitate actus impugnati videt Secunda Sectio Signaturae Apostolicae; hoc sensu – qui est iuris administrativi civilis – Secunda Sectio non videt de merito” (*Periodica*, 61 [1972] 25).

Objectum igitur examinis Nostri est legis violatio vel in procedendo, sed quod attinet ad elementa formalia actus administrativi, circa auctorem nempe et circa formam qua actus praeparatur et exprimitur, vel in decernendo, seu quod attinet ad elementa materialia eiusdem actus prout et quatenus a lege requisita.

4. Ad rem iterum insuper animadvertendum censuerunt Infrascripti obiectum examinis non esse Normas Conferentiae Episcopalis Lusitanae nec Declarationem unanimi consensu Episcoporum Conferentiae Lusitanae, diei 15 Novembris 1989.

De his disceptare excedit limites competentiae nostrae, sicut et simpliciter ad rem nostram aperire mentem.

5. Duo autem potissimum praemittenda putamus:

– Consociationes iam existentes ante Codicis nunc vigentis promulgationem, seposita nominis quaestione – privati nempe vel publici – suam servant condicionem quam de facto et quoad substantiam iam habuerant.

– Nemini igitur licet nec auctoritati ecclesiasticae, eis qualificationem tribuere quae anteaetiae conditioni prorsus contradicat. Pari autem modo consociationis non est arbitrarie et ad nutum suum mutare naturam ob fines qui intrinseci haud sunt consociationis ipsius substantiali vitae, prout ex historia clare desumi possit et debeat.

Ad rem statim animadvertendum est singulas Misericordias recurrentes non probavisse quod, attenta historia, tantum tamquam associationes privatae considerari possunt.

6. Violavitne autem legem vel in procedendo vel in decernendo Exc.mus Episcopus dioecesis Pharaonensis cum declaravit Misericordias, canonicè in dioecesi

[p. 12] Prot. N. 23966/93 C.A.

erectas, publicas esse? Habetur legis violatio in specie quod attinet ad decretum Pontificii Consilii pro Laicis, diei 30 Novembris 1992, in procedendo vel in decernendo?

Actis attente cribratis, censuerunt Infrascripti legis violationem probatam non esse in casu.

7. Revera:

– Conlustrant acta relationes non defuisse inter Exc.mos Episcopos et Misericordiarum procuratores antequam ad conclusionem pervenirent Episcopi omnes;

– Eruitur ex actis, labentibus saeculis auctoritas ecclesiastica momentum haud parvum habuisse in vita, evolutione et itinere Misericordiarum ipsarum;

– Opera quae Misericordiae exercuerunt et quae Misericordias ipsas distinguunt ea sunt quae iuxta Codicem vigentem publicae consociationes exercere possunt.

8. Quae cum ita sint dicere cogimur probatam non esse ullam assertam legis violationem vel in procedendo vel in decernendo ex parte Exc.mi Episcopi Dioecesis Pharaonensis et Pontificii Consilii pro Laicis.

III. Conclusio.

9. Quibus omnibus in iure et in facto sedulo examinatis et cribratis, Collegium Em.morum et Exc.morum Iudicum, pro Tribunali sedentes et solum Deum prae oculis habentes, Christi Nomine invocato, dubio proposito respondendum censuit uti respondet:

«NEGATIVE, seu NON CONSTARE de violatione legis sive in procedendo sive in decernendo relate ad actum Pontificii Consilii pro Laicis diei 30 Novembris 1991 confirmantem decretum Exc.mi Episcopi Pharaonen. Diei 19 iulii 1991.

[p. 13] Prot. N. 23966/93 C.A.

Quae sententia cum omnibus quorum interest communicetur ad omnes iuris effectus.

Pro expensis retinetur summa apud arcam nummariam huius Supremi Fori deposita. Pars recurrens Cl.mo Patrono suo congruum honorarium solvat. Dioecesis Pharaonensis Pontificio Consilio pro Laicis solvat honorarium Cl.mo Patrono Auctoritatis ecclesiasticae debitum.

Datam Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 24 aprilis 1999.

(Sign.ti) † Bernardinus Card. Gantin.

D. Simon Card. Lourdusamy.
Antonius Maria Card. Javierre Ortas.
Ioannes P. Card. Schotte.
† Zenon Grocholewski, Praefectus.
† Iulianus Herranz.
† Aemilius Eid.
† Eduardus Davino, *Ponens*.
Notificetur.
Die 1 julii 1999.
† Franciscus Xaverius Salerno, *Secretarius*.
Vincentius Cárcel Ortí, Moderator *Cancellariae*.

Concordat cum originali. Die 3.7.99.